





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**ARTE SANANDI  
PER MORBUM,**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P RÆ S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.

SORE PUBLICO ORDINARIO, etc.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Preceptor ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,


HORIS LOCOQUE CONVENTIS,  
ANNO MDCCXXXIX. D. XXVIII. SEPTEMBR.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET

A U C T O R  
**JOHANNES LISSOVINY,**  
NOBILIS HUNGARUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

KÖN.PR.FR.  
UNIVERS.  
ZV HALLE



## PROOEMIVM.



Vm plurimi medicorum  
crebram mentionem fa-  
cerent , quam egregie  
homines per morbos fa-  
nitati restituantur , inter  
quos vnuis instar omnium  
esse ILLVSTRIS ALBER-  
TI potest , qui de morborum salubritate scri-  
psit ; nec tamen quisquam coeperit post  
hos dispicere , quomodo curandum sit , vt  
morbi medicina audirentur : mouit me il-  
la tanta vtilitas , necessitatque , vt ea de-  
monstratum irem , quæ ad hanc contro-  
uersiam pertinent , ponderatisque effecti-  
bus morbi indagarem ARTEM SANAN-

A 2 DI

DI PER MORBVM. Ea itaque in chartam coniecta occasione mihi a summis in arte medica viris data, in hunc ordinem redegi, ut pro specimine Inaugurali, quod leges iubent edere, in publicam lucem producerem. Accipe igitur, beneuole lector hancece Dissertatiunculam, vtereque ea ita, ut sanitatis tuae promotor per morbos quoque esse possis.

### C A P. I.

*De*

#### *Natura morbi eiusque effectibus.*

##### §. I.

**S**Anat saepenatura hominem per morbum: Ita Paralyticos febre magna curari, Plethoricos, Hæmorrhagiis releuari testis est experientia. Vid. B. BOERHAAVE in *Aph.* & *Illustris ALBERTI de morb. salubr.*

##### §. II.

Cum vero medicus sit naturae minister, cognitus illi esse debet modus, quo sanamur per morbum. Dat nobis hunc naturae morbi eiusque effectuum cognitio. Agemus itaque primum de natura morbi eiusque effectibus, deinde artem sanandi per morbum proponemus.

##### §. III.

❀ ( 3 ) ❀

§. III.

Quando vnam vel alteram, plures vel pauciores corporis nostri viui partes, ad functiones, ad quas destinatae sunt ineptas in nobis, vel aliis esse experimur, aegrotare nos vel alios dicimus. Morbus itaque est ille status corporis viuentis, quo ad actiones quascunque ineptum est.

§. IV.

Quia autem omnis corporis nostri pars habet suum usum per princ. phys. & physiol. ad quem edendum a causis internis vel externis facile inepta redditur per exper. tot erant morbi in corpore nostro, quot eius partes sunt. Vnde non sine causa a quibusdam totus homo morbus esse dicitur. Vid. HIPPOCR. *Ep. ad Damagedum text. 279.* CASP. REIES. *Camp. Etys. iuc. qu. 99.* ALBERTI *Patholog. fundam. §. 44.*

§. V.

Ex anatomicis observationibus claret partes corporis nostri vel esse solidas vel fluidas. Quis enim negaverit sanguinem & lympham, quorum usus sunt singulares, non minus esse partem corporis humani, quam ventriculum, intestina, cor &c. Dari itaque morbos partium & fluidarum & solidarum dubitandum non est. Nam cum morbus in ineptitudine partium ad edendos usus consistat §. III. fluida autem & solida sint partes, quae cito affici iniuriis quibusdam possunt in functionibus §. IV. patet morbos esse vel solidarum vel fluidarum partium. Vid. BOERHAAVIVS, qui morbos humorum tanquam

peculiarem morbi speciem expendit, & Illustr. F R I D.  
H O F F M A N N . in *Med. System.*

## §. VI.

Dispositio corporum diuersa, secundum quam variæ corruptioni illa exposita sunt princeps causarum, omnium in homine morborum existit per princ. Pathol. Gen. Attenta igitur obseruatione discimus, quamlibet aetatem, utrumque sexum, & omne temperamentum, differentes & sibi proprios sistere morbos. Ita obseruamus aetate infantili & puerili, ob insignem fibrarum teneritudinem & sensibilitatem facile plethoricos fieri, & motus humorum congestios haemorrhagiasque præcipue ad caput contingere, adolescentiae & iuuentutis, ob molimina vana motuum, peccus occupare, haemoptysinque excitare, aetate virili & senili, quia otio & libidini indulgent homines, abdomen cum artubus molestare, & senes quidem apoplectici euadunt. Vide B. s T A H-  
L I V S de fund. morb. aetat. & senum affectibus. Foeminae, quia habitu corporis laxiori, & in primis vteri mira struetura gaudent, morbis vteri aliisque sibi propriis diuexantur. Vid. R O D E R I C V S a C A S T R O in Libr. de Morb. Mulierum. Masculi quidem ita suos non habent, ut mulieres quoque eos interdum non experiantur: tamen præ aliis haemorrhoidibus, podagra arthritideque detinentur. Conf. elegans dissert. A L-  
B E R T I de Morbis foeminar. virilibus. Sanguinei, cum status corporis eorum spongiosius & laxus ad copiosum sanguinem progernerandum maxime sit idoneus, ut plurimum Plethorici esse solent. Cholerici, in quibus

bus vis motrix ob vasa valde tensa & angusta vehe-  
menti impetu vndas iaculatur febribus acutis biliosis  
& inflammatoriis soepe corripiuntur. Melancho-  
lici propter amplitudinem vasorum & humorum  
spissitudinem molestis moliminibus haemorrhagicis  
expositi sunt. Phlegmatici ob serum abundans, val-  
deque tardum circuitum humorum, catarrhalibus ad-  
flictionibus subiecti sunt. Vid. Illustr. F R I D . H O F F-  
M A N N . in *Med. System.* & Excell. IVNCKERVS in  
*Therap. Gen.*

### §. VII.

Quia vero in omnibus morbis minus pericli-  
tantur, quorum naturae & aetati & habitui & tem-  
pori magis fuerit similis morbus, quam in quibus  
nulli fuerit similis teste HIPPOCR. in *Aph. Sect. II.*  
*Aph. 34.* imo sanentur quoque per hos vtplurimum  
§. I. expendendi veniunt iam eorum effectus, quip-  
pe qui modum suppeditant sanandi per morbum  
§. II.

### §. VIII.

Infantes & pueros morbis partium & solidarum  
& fluidarum vexari, constanti obseruatione notarunt  
medici §. VI. In his enim cum cerebrum & reliquae  
partes musculosae nondum perfecte efformatae sint,  
facile congestiones sanguinis in iis fiunt, hinc ineptae  
ad vsus suos esse solent; quæ ineptitudo partium est  
morbus §. III.

### §. IX.

At succurrere ipsam naturam huic malo per  
hanc boni sanguinis abundantiam & ex hac resultan-  
tem

tem ad caput humorum congestionem quotidiana testatur experientia. In aetate enim hac Plethora humorumque ad caput largiores congestiones, non ob aliam causam existere videntur, quam ut cerebrum & reliquae partes perfectius efformentur dentitionisque negotium promoueatur. *Vid. Physica de usu partium corporis hum. Physiol. & Pathol.* IV N C K. Ex quibus apparet Plethorae medium esse, ut, hac augmentum corporis eorum & perfectio promoueatur Dentitionisque negotium egregie perficiatur.

§. X.

Non negandum quidem est, ex Plethora & congestionibus facile prouenire stagnationes, stases, corruptiones lymphatico serosas, praecipue si errores regiminis accedant, aut dentitionis negotium impedit succedat: attamen etiam his naturam obuiam ire singularibus evacuationibus solet, quas haemorrhagias narium medici vocant §. VI. Per has enim congestus sanguis eiicitur, dolores, aestuationes, inflammations, suppurationes, spasmi, palpitationes, convulsiones, febres diuersae indolis & dubii euentus tolluntur, *vid. ALBERTI de morb. salubr.* ut adeo quidam ob effectum hunc salutarem, eas pro re praeternaturali habere nolint. *Vid. B. STAHLIVS & Excell. IVNCKERVS.*

§. XI.

Atque haec dum de haemorrhagia narium dicimus, intermittere non possumus, quin effectus haemorrhagiarum in variolis, quas criticas appellant mentionem iniciamus. Hae enim quando profluent:

unt: vniuersalis euphoria sequi solet. *Vid. ALBERTI de Haemorrh. Critic.* Suppressis vero iisdem lethalem euentum aegri sortiuntur, vti singulare huius rei exemplum nuper Excell. IVNCKERVS in *Principe filio variolis affecto*, cui Medicus haemorrhagiam suppressit, recensuit. Idem de haemorrhagiis symptomaticis quibuscumque in tenellis aut pueris obseruandum est, has a multis eos liberare malis, quae si supprimantur mortem inducant. Talia exempla in Patria mea solennia soepius obseruaui in primis in foemina quadam, cuius filius haemorrhagia narium corripiebatur. Haec morae impatiens, cum a temperantibus remediis praesentissimum illico effectum non videret, nec tamen a medico adstringentia & sistentia obtinuisse, temerario ausu aquam frigidam in nucham filii infudit; quo facto compescuit quidem haemorrhagiam: ast aeger in delirium incidit, breuique postea tempore, vitam cum morte commutauit.

## §. XXI.

Adolescentiam & Iuuentutem, quia in his maior fit impulsus sanguinis ad pectus §. VI. tussi sicca & effera palpitatione cordis asthmate, pleuritide spuria vt plurimum vexam notarunt & veteres & recentiores. At enim vero Haemoptisin morbum §. VI. III. seu excretionem sanguinis e pulmonibus, medicinam soepe iis tulisse, Excell. SCHVLTZE confirmat, qui veteranum quendam suum amicum ad annum usque quinquagesimum summa cum euphoria hoc profluum passum fuisse publice in *Dip. de Haemorrhagiis* recensuit. Et Excell. IVNCKERVS in

B

*Patbol.*

*Partol. Conf. Tab. IV.* Sic scio D N. ALBERTI in lumen sexagesimi anni consistentem, adhuc iterato Narium Haemorrhagiis salutaribus corripi. Bene, ille inquit, succedere dicitur haemoptisis, si 1) sanguis facile 2) circa nimis prodigam eius iacturam electus fuerit, & 3) tranquille iterum cesset neque notabilem ac diutinam tussim post se relinquat. Diffitendum enim non est, quod defectum haemoptysisos quedam sequi soleant mala. Quando enim non omnis extravasatus sanguis funditus e pulmonibus evacuat, tum intra subtiles vesiculos obhaerescens corruptionem inuitat. Accedit, quod molimina haemoptysica, ad eruptionem non pertingentia, facile producant asthmata spuria, Peripneumonias, anginas & interdum phthises. Haec ille. Vnde liquet haemoptysisos summus usus, vniuersam compagem medi ventris ab appletionibus & exulcerationibus liberando.

## §. XIII.

Virilis aetas spasticos inprimis dolores lancinantes prementesque sub costis spuriis circa venam portae incurrit: his tamen ipsis malis, quando per haec Haemorrhoides excitantur sibi succurrit. His enim efficitur, ut regurgitationes intempestiuæ ad alia loca praecaueantur, impeditus progressus sanguinis circa venam portae ventiletur, grauiaque incommoda spastica quae ex humorum congestionibus ad minus ventrem nascuntur §. VI. praeoccurentur, vid. Diff. ALBERTI de *Haemorrhoidibus*.

## §. XIV.

Senectus ipsa morbus est per exper. Et vasorum

rum enim rigiditate & impedito sanguinis circulo gaudent. Apoplectici & Paralytici soepe fiunt §. VI. Sed hos febre magna curari BOERHAAVIVS notauit §. I. & a febre per Dysenteriam liberari testis est BAGLIVIVS. Vnde consequitur febris & Dysenteriae in Senibus morbidis praediarum esse effetum. Per hos enim morbos non minus vasa referantur motu vniuersali febrili, sanguis resolutur, robur & tonus partium aquiritur, quam materia acris eliminatur per Dysenteriam educiturque quae alias febris causa existere solet.

## §. XV.

In foeminis initium mensium est quoque initium morborum. conf. ALBERTI *disp. huius argumenti*. At nullum praesentius tamen in spasmis vteri & obstructionibus eius esse solet remedium, quam fluxus menstruus. Per hunc enim Plethora imminuitur multi morbi, a consensu vteri cum partibus aliis orti, tolluntur, sanitasque sexus huius optime conseruatur. Vid. plura *Confsp. Theor. Pract.* IVNCKERI.

## §. XVI.

Sanguinei ob habitum corporis sui spongiosum & laxe cohaerentem, cuius venae copiosae sed exiles & angustae sunt ad copiosum sanguinem progenerandum, in primis si intemperantes sint, idonei sunt §. VI. At enim vero quandocunque febrium ordinatus typus decursusque in iis est, optime per hunc sanguis consumitur, materiaque abundans evacuatur consentientibus Medicis, FRID. HOFFMANNO, ALBERTI, IVNCKERO, etiam si id quidam per accidens tantum fieri existiment.

§. XVII.

In cholericis sanguinis motus validior, quam in aliis esse solet §. IV. hinc in corporis functionibus adeo veloci sunt soepeque ob immoderatum affectum regimen in febres biliosas inflammatoriasque incident. Hi quain optimo cum successu Diarrhoea vomitu Dysenterique restituantur, pleni sunt praetorum libri, *Conf. Confsp. Theor. Pract. IV N C K E R I & B A G L I V I V S in Oper. p. 350. seqq.*

§. XVIII.

Quae de vsu haemorrhoidum superius dicta sunt §. XIII. ea in primis in Melancholicis locum habent, quippe qui praeterea ad haemorrhagiarum molimina sunt proclives. Quae si erumpant, eos multis malis affectuque hypochondriaco soluunt: quod iterato testatus est ALBERTI tr. de Haemorrhoid.

§. XIX.

Phlegmatici sero abundantes a catarrhis, coryza grauedineque relevantur; quia enim haec haemorrhagiae narium vices supplendo egregie sanguinem resoluunt & ab hemiplecticis & paralyticis affectibus liberant. De qua re notabilia exempla apud Salmuthum reperiuntur.

§. XX.

Atque haec sunt, quae praemittere placuit tanquam principia, quibus in proponenda arte sanandi per morbus opus esse, iudicauimus.

C A P. II.

*Arte Sanandi per morbum.*

§. XXI.

## §. XXI.

**H**is praemissis iam ad ipsum modum sanandi per morbum progrediamur. Intelligimus autem per artem hanc sanandi eam scientiam dirigendi statum morbosum ad sanitatem.

## §. XXII.

Et cum status hic adeo differens sit pro differentia aetatis, sexus temperamenti corporumque viuorum §. VI. effectusque morborum salutares obseruentur §. VII. VIII. IX. & seqq. iuuabit speciatim artem proponere sanandi & infantes puerosque & iuuenes virosque & foeminas, prout vel sanguinei vel melancholici vel cholericci vel phlegmatici sunt.

## §. XXIII.

Infantum itaque curaturi salutem quia plethorici & congestionibus obnoxii sunt §. VIII. vi tenebrae sua strueturae: ante omnia obseruandum est, ne temere quidquam contra hunc naturae ordinem suscipiamus, sed quia salutares hi motus in iis sunt §. VIII. IX. eos ad sanitatem dirigamus §. XXI.

## §. XXIV.

Quare quicunque in his plethoram dirigere vult ad sanitatem: is primis mensibus lac tenue infantibus offerat; procedente vero tempore crassius pedentem suppeditet. Lac enim crassum vasa adhuc tenuissima obstruit & glandulas mesaraicas villosque & ostia vasorum lacteorum spissa ac tenaci amurca oblinit & infarcit. Qui infarctus vasorum, non potest non multum damni adferre infantibus, qui facile atrophicci euadere possunt. Hoc facto ef-

ficiemus ut sincerum sanguinem infantes aquirant. Caeamus tamen ne infantem, hac intentione, nimio lacte repleamus. Nam omnis nimia repletio digestionem laedit, & ingesta in ventriculo male digesta intra primam regionem stagnant acescunt & corrumpuntur. Vid. Illust. F R I D. H O F F M A N N . de Diuersatione respectu aetatum dietae.

## §. XXV.

Quia vero ex plethora facile congestiones ad caput euenire solent §. X. & ex his stases stagnationes Ibid. idque eo facilius, quo seigniores in obseruando regimine sumus: ad conseruandam tenellorum sanitatem plurimum confert, aequalis & moderata transpiratio. Quare infantes tenelli sub temperato regimine in lecto & conclavi detineri, & ab omni intensiori frigore probe muniri debent. Si secus fit, facilime congestiones ad caput abeunt. Accedit, ut quo melius haec cutanea excretio succedit, eo sicerius & salutarius nutrimentum euadat.

## §. XXVI.

Cum itaque infantes & pueri nutritione & aeratione opus habeant §. IX. soepius eos sed parum semper assumere oportet, quod quo temperatus est, eo magis alendis partibus accommodatum. Hinc vinum, spiritus vini omniaque acida infantibus & pueris instar veneni nocent. Non enim tantum nutritioni & augmento partium resistant sed etiam cerebrum omnesque eius functiones laedant.

## §. XXVII.

Quodsi vero contingat, vt morbi infantum, vt sunt achores, crusta lactea, tinea, parotides, obstructio nari-

narium mucosa, aphtae, obstructio alui, medicatio-  
nem vrgeant, caue ne medicamenta validiora iis of-  
feramus. Cum enim nihil magis tonum ventriculi  
& intestinorum destruat infantum, quam haec ob-  
seruandum est, vt remedii potius temperantibus,  
reuellentibus humores a superioribus & leniter la-  
xantibus, morbos hos dirigamus ad sanitatem. Ta-  
le euacuans blandum est illud, cuius singularem effe-  
ctum soepius expertus sum. Rec. Resin. Ialap. gr. vj.  
teratur cum amygd. dulc. adde Rad. Liquirit ppt.  
gr. vj. ol. Anisi gutt. ij. M. D. in 3. part. aequales.  
Neque vero quadam ratione nos persuaderi fina-  
mus per vnguinosa oleosa sulphureaque hos mor-  
bos infantum tractare. His enim materia expellen-  
da ad interiora retropellitur, nihilque citius, quam  
mors acceleratur.

## §. XXVIII.

Haemorrhagiae narium in pueris infantibus  
sunt salutares §. X. XI. Quare hae non sunt sisten-  
dae adstringentibusque tractandae §. X. XI. sed tem-  
perantibus potius ita moderanda dirigendaeque, vt  
salutaris eorum effectus obtineatur §. XXI. Prae-  
stant id Tartarus vitriolatus; Nitrum. Depur. Lap.  
cancr. Cinabar. opt. Idem de criticis symptomaticis-  
que valet. Quodsi vero adfit haemorrhagia effera  
vt videamus sistentia debere propinari: tum obser-  
uandum, vt mox adstringentibus resoluentia, succe-  
dant, ne maiora exinde incommoda fiant. Vid. de  
his *Consp. Theor. Praet. Tab. V. de Haemorrhagiis in genere.*

## §. XXIX.

Ex quibus appetat, talem Plethorae congestio-  
num,

nūm, haemorrhagiarumque directionem, cum sanitati sit conuenientissima, esse optimam sanandi infantes & pueros methodum.

## §. XXX.

Sed dispiciendum iam est de modo sanandi adolescentes & iuuenes per haemoptysin. Hanc esse morbum constat ex §. 3. 6. & 12. sed iusta interpretatione salutarem §. 12. ex cuius defectu plurima oriuntur mala. Quare & hanc dirigendum esse in adolescentibus & iuuenibus ad sanitatem nemo negauerit. Cum enim hi motus fiunt ad euacuandum congestum sanguinem e pulmonibus, temere non sunt fistendi; sed aut praeoccupandi, ne vnquam fiant, per continuum exercitium corporis & venae sectionem, aut, si ansam huic malo dedit in virginibus menstruus, in iuuenibus vero haemorrhoidalis fluxus, hic per prudentem methodum vel per Venaesectionem, vel per pediluuiu & inseffus vel per laxationes & clysteres est reuocandus, aut si Haemoptysis origines duxit ab oppletione sanguinis ad pectus a quacunque causa orta tractanda est temperantibus, inter quae nitrum excellentis est virtutis. Cum effera vero & nimia ita procedendum est, vt adstringentibus illico resoluentia, subiungamus, ne restitantes quaedam grumosae particulae sanguinis in vesiculis pulmonum grauia inducant mala. Huic scopo egregie inseruiunt sequentes species Rec. Rad. Pimp. alb. Ari Herb. Veron. Heder. terrestr. Sanic. Pyrol. ana Man. ij. c. m. aſfundere aquae calidæ & Rec. Rad. Tarax. Cichor. ana unc. j. Gramin. Liquirit. ana unc. ſem. Hb. Veron. man. ij. Sem. Carv. unc. ſem. Cort. aurant. Cinamon.

ana

ana drachm. ij. Incisâ contusa M. affundantur aqua calida parum ebulliant, & deinde pro lubitu etiam cum lacte bibantur.

### §. XXXI.

Atque, vti haec quidem sanandi ratio in Iuuenibus locum habet; ita in primis virorum morbi ad sanitatem dirigendi sunt. Hi a spasticis lancinaneibusque doloribus liberantur haemorrhoidum fluxu §. XIII. Age expendamus igitur, quomodo Haemorrhoides in his tractari debeant.

### §. XXXII.

Hic fluxus, si legitime procedit nulla indiget medicatione, sed conueniente tantum regimine & Diaera, quae si non obseruentur spasticorum affectuum causa existere solent foecundissima. Ut itaque hi dolores exulent orti ab impedito fluxu haemorrhoidum, tum promouendus omnino hic est, quantitatem sanguinis imminuendo, aluuni si non legitime succedit per Clysterem emollientem e. gr. per decoctum Chamomillae cum lacte expediendo, &, quod praecipuum est, qualitatem sanguinis corrigenous, & quidem, si orgasmus adsit per nitrosa est placandus & acidula suadente F R I D . H O F F M A N N . si spissitudo vrget resoluentia adhibendo. Hoc vbi factum est, motus ad locum excretionis blande inuitandus & stimulandus est, id quod per helleborata myrrata aloetica pilulas Stahlii, Beccheri & Alexipharmacâ obtinetur.

### §. XXXIII.

His ita in ordinem deductis, praesentissimum profecto adesse solet contra truculentissimos in viris

C spasmos

spasmos malumque hypochondriacum. Vid. plur.  
Illustr. A L B E R T I in *Diff. de Haemorrhoidibus.*

§. XXXIV.

Cum senectus ipsa morbus sit §. XIV. soepiusque ab apoplexia febre magna §. I. & a febre ardente Dysenteria liberentur §. XIV. dirigendi & hi motus ad sanitatem & non susque deque habendi.

§. XXXV.

Ratio, quod senes & febre ab apoplexia & a febre ardente per Dysenteriam soluantur haec est. In senibus enim humores vt plurimum faciunt impetum versus inferiora quorum partes laxae sunt. Ab apoplexia autem per febrem liberati in acceptis ferre debent motui illi vehementi, & resolutoria qui febribus est familiarissimus. Hic enim omnia etiam rigidissima vti in iis sunt penetrat. Quare ad haec attendendum est, in primis si senes ab adfectibus his corripiuntur. Febres legitime tractandae. Dysenteria non sistenda, sed potius, ne materia haec eliminanda subtilissima fermentativa substantia progressionem cohibeatur: obstandum mature Alexipharmacis remediis est: e. gr. Rad. pimp. alb. gent. rubr. angel. hb. Scord. His rite ita tractatis fieri, ut per hos morbos senes a grauibus his morbis libarentur.

§. XXXVI.

Cum sexus sequior ab vel inordinato vel suppresso vel nimio mensium fluxu omnium morborum suorum origines deducat §. XV. & per horum ordinatum fluxum sanguinentur ibid. eo omnes vires intendendae sunt, ut hic fluxus qualiscunque fuerit ad sanitatem dirigatur.

§. XXXVII.

Quare cum mensium fluxu a Plethora quam facile ob

ob habitum corporis laxiorem & transpirationem impi-  
ditorem acquirunt, foeminae liberentur §. hic omni ratio-  
ne in ordinem redigendus est. Ipse largior fluxus, con-  
sultius tolerandus, quam cohibendus est, nitrofisque attem-  
perandus & souendus, assumtis per vices pilulis Stahlii vel  
Beccheri. Atque adeo tempore eo, quo nimium fluxum  
patiuntur aegrae, cauere sibi debent ab omni refrigeratio-  
ne, in primis pedum, affectibus animi inordinatis & Diaeta  
spirituosa & aromatica. Quod autem ad haemorrhagiam  
vteri attinet, haec quoque temperantibus potius quam ad-  
stringentibus fistentibusque, quae non nisi in necessitate  
summa adhiberi debent, est tractanda. Facile enim teme-  
re suppressa hac, sanguinis stasis, febris acuta inflammato-  
ria putrida, succedere solet. Talis directio fluxus huius  
euadit salutaris, & qui hanc nouit, arte sanandi per mor-  
bum pollet.

## §. XXXVIII.

Sanguineis febres restituisse sanitatem medici testa-  
mur §. XVI. Cum enim vplurimum interperantes sint,  
febres vero intermittentes & aliae a primarum viarum  
vitio vel plethora oriantur per princ. pathol. facile ad asse-  
quendum est purgatis primis viis & resoluto sanguine eos  
pristino vigori restitui. Quare inuitanda natura in acti-  
bus his quos instituit, ad eliminandam materiam est, haec  
que praeparanda ad excretionem & praeparata eliminan-  
da est. Id febres praestant, quare cum sponte currenti  
calcar addere temerarium sit, ita eo dirigenda sunt, ut sa-  
nitas per eas acquiratur. Pessime ergo in casibus hiis vomi-  
tus, si adfuerint aut Diarrhoeae fistuntur; cum hae euacua-  
tiones omnium consensu sint vtilissimae. Arque hoc in  
Cholericis affectibus quoque probe tenendum est, qui fe-  
bribus

bribus ardentibus scepe coniungi & Diarrhoea aut vomitione solui solent. Vid. plur. ALBERTI & IVNCKER.

§. XXXIX.

Melancholici vt plurimum hypochondriaci sunt §. XVIII. VI. hos haemorrhoides liberant §. eod. Cum enim causa mali huius defectus horum esse soleat: appareret reuocatis iisdem hypochondriacos subleuari. Vid. ALBERTI de haemorrh. Medic. hypochondr. Quare omni cura innundatum est, vt fluxus hic per diluentia, nitrofa, Rhabarbarina, resoluentia, Clysteres emollientes & alexipharmacata reuocetur.


§. XL.

Phlegmatici, qui spongioso corpore & nimium seroso sunt §. XIX. Catarrhis Coryzaque vexati, releuantur. §. ead. In curatione itaque Catarrhalium affectuum, et si, qui coryza & grauedine & phlegmatorrhagia laborant raro medici auxilium implorent, notandum est ne faciles simus in repellendis his affectibus. Quare qui seracea & fonticulos ad intercipiendos hos morbos serofos usurpant, nec scio an aliquid efficiant. Testibus enim practicis soepius sine effectu adhibentur, raro diu iuuant, non continuata malitia exasperant aetatem iuuenilem debilitant. Quare optimae fecerit quilibet si motus hos direxerit, per temperantia enacuantia blande ad salutem. Ita efficiemus ut praesentissimum aegris per hanc morborum horum directionem auxilium adferamus.

§. XLI.

Atque haec sunt, quae de modo sanandi per morbum dicenda proposuimus. Quicunque itaque arte sanandi per morbum pollere vult, is naturam morbi effectusque eorum differentes cognoscat oportet §. II. atque ita hos dirigat ad sanitatem §. XXI.





He 156. d. 2.


ULB Halle  
001 876 392

3



TA-DOL  
(SA-21 fehlt)





B.I.G.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**ARTE SANANDI  
PER MORBUM,**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiosae Facultatis Medicae,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E  
**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO GRADU DOCTORIS**  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONVENTIS,  
ANNO MDCCXXXIX. D. XXVIII. SEPTEMBR.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICET  
AUCTOR  
**JOHANNES LISSOVINY,**  
NOBILIS HUNGARUS.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.